

1631

CODICES A

1632

vater vnd der sun vnd der heilig
geist cziben di sele. Initium: *Nemo potest ad me venire nisi pater meus traxerit eum. Dese wort hat gesprochen vnser herre mit sinem sozen munde &c.* 4) De Animae dignitate. *Surge illuminare ierusalem. Dese wort di spricht der heilige wiffage her isayas. Vnd di bedeuten sich also. Stant vf vnd wirt erluchtet &c.* 5) De sensu Spiritualium. *Daz man geistliche dinc nicht vernimt. Initium: Waz maynet aber daz. daz noch der selben lichte so vil ist &c.* 6) De Animae puritate. *Nu nim ich wider die rede zu handen von der luterkeit &c.* 7) De intuitione Dei. *Wer kommen welle zu siner besten geist edelkeit. vnd zu der anschowunge dez obersten gutes &c.* Multa in hoc Tractatulo de diuina Essentia et Trinitate, de unione Animae cum Deo, de Vitae piae studio articulatum congesta. Atque hic video Matronam illam in Titulo supra nominatam ab ipsomet Autore compellari fol. 17. p. 2. *Vrawe ver gedraut*, unde conjicio, saltem istum Tractatulum non posse esse *Magistri Eobardi*, sed pertinere ad ipsum *Johannem*, quem *Taulerum* puto; neque obstat, quod se, ut supra vidimus, *Discipulum (Schuler)* vocat; modestum enim ejusmodi vocabulum subpresso proprio nomine etiam sibi ante *Sermones* suos saepenumero editos imposuit *Johannes Herolt* ejusdem Ordinis Praed. et *Taulero* subpar. Quod vero ad Matronam dictam *Ver getraut* adinet, eam ad inferiorem *Rbe-*

num aut in vicina *Hollandia* coluisse censeo, ubi non infrequenter Cognomina a *Ver*, quod est contractum *Van der*, inchoant, ut *Vereicken*, *Vermänder*, *Vermeulen* &c.

Fol. 21. p. 2. titulo ab alia manu adjecto: *Hie ist anfankch des pueches von den waren tugenden daz gemacht hat der grozz mayster albrecht*, sequitur Versio *Alberti M.* pariter Ord. Praed. de *veris Virtutibus*, seu, ut T. XXI. Opp. edit. Lugd. 1651. f. inscribitur, *Paradisi Animae*, hoc initio: *Etlich syten glichen sich den tugenten so sere. daz man si fur tugenden hat. so si völiche vntugenden sin. &c.* Ad calcem: *Nu hat daz buch vnd mein schrift ein ende. Ihesus marien kint enphabe vns in deine bende. Mich vnd di edelen vrawen ver gedrauten. Wen wir von dirre valschen werlde varen. Amen amen amen. dez helfe vns maria di reine. Di ein muter vnd ein iunvrawe ist alleine.* Sequitur capitulum Index cum aliquot Rhythmis et iterata Scriptoris commendatione, quibus accedit ab alia nitida manu Initium *Evangelii S. Johannis*, geminaeque *Precatiunculae*, omnia vernacule. Multis ad Theologiam mysticam facientibus Vocabulis Glossarium Theoticum, praesertim e priore Codicis parte, ditari posse, dubio vacat.

DCXC.

Codex maximam partem mem. R. 2139
braneus lat. Sec. XIV, Folior.

211.

1633

A S C E T I C I.

1634

211. 4. non una manu perscriptus, et rubricis distinctus compilatus est e variis Tractatibus, quorum I. *Albertani* Judicis et *Causidici Brixienfis* *Doctrina* dicendi et tacendi ad unum e tribus Filiis *Stephanum* nomine intra annos 1241—45. exarata, a nobis pluries relata, et olim prelo saepius subiecta, ut multis *Mazzuchellius in Scritt. d' Italia Vol. I. P. 1. p. 294.* Initium: *Cum in dicendo multi errant, nec est aliquis &c.*

II. fol. 8. p. 2. sequitur alterum Ejusdem Opusculum ad alterum Filium *Johannem* Chirurgen profectum hoc Rubro: *Liber consolationis et consilij qui liber specialiter intitatur Mellibeus.* Historico nempe Schemate utitur *Albertanus* inducens *Meliboeum* ob Uxorem et Filiam ab Inimicis vulneratam gravissime afflictum, sed suscepta consolatione, auditisque consiliis pacatum, demumque inimicis ipsis reconciliatum. Initium est: *Quoniam multi in aduersitatibus et in tribulacionibus taliter affliguntur et deprimuntur, quod cum in se propter animi perturbationem nec consilium nec consolationem habeant &c.* Scriptum est, ut variant Codices, a. 1246. vel 48.

III. fol. 38. p. 2. tertium Ejusdem opusculum ad tertium Filium *Vincentium*, seu *Liber de amore et dilectione dei et proximi et aliarum rerum et de forma vite.* Ejus initium: *Inicium mei tractatus sit a nomine domini a quo cuncta bona procedunt et a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum descendens a patre lumi-*

num. Quanto amore quantaque dilectione mea paterna Caritas tuam diligit filialem subiectionem &c. Ad calcem: *Explicit — quem albertanus causidicus brixien. de hora (de ora, al. de Contrata, al. Ecclesiae) sancte Agathe (quae e primis est Brixiae Paroeciis) composuit ac scripsit cum esset in carcere Domini principis fredrici (Imp. II.) in ciuitate cremone in quo positus fuit cum esset capitaneus gauardi ad defendendum locum ad utilitatem communitatis brixien. Anno Domini M. CCC. VIII. (lege CCXXXVIII.) Mense Augusti in die sancti Alexandri (inter plures, qui hoc mense coluntur, Militem Thebaeum credo 26. cultum Bergomi) quo obsidebatur ciuitas brixie per eundem imperatorem Indict. XI. Vel ex hac Indictione probatur lapsus Librarii in anno; anno enim 1308. Indictio VI. respondet. *Mazzuchellius l. cit.* innuere videtur, utrumque hunc Libellum plenum morali fruge, auctorum sacrorum et profanorum sententiis illustratum, in *Capita* diuisum, et in quo nihil praeter linguam puriorem desideres, juxta cum primo typis proditum fuisse; ego vero latinos *avendores* habeo. Italice dudum versi *Florentiae* 1610. 4. impressi sunt, ut pluribus *cit.* Autor.*

IV. fol. 93. succedunt Sermo-nes bini Ejusdem *Albertani* e quin- nis illis, qui *Mazzuchellio* teste in *Codd. Regio Paris. et Vaticano* seruantur. Prior inscribitur: *Hic est sermo quem albertanus causidicus brixien. composuit et edidit*

K k 2

inter

inter caufidicos et quosdam notarios de conformacione illorum vite tempore domini Manuelis de Madio (Maggi) pot. Jan. Tò Jan. lego Januensis; lineola vero τῶ pot. incumbens legendum fuaderet pontificis, si modo inter Pontifices Januenses occurreret Manuel. Itaque legendum erit *Potestatis* (Podestà) id est Praetoris; huic enim plurimum cum hominibus forensibus est negotii. Sermo incipit: *Congregacio nostra sit in nomine domini, a quo est omne datum optimum &c.* Alter hanc Rubricam praefert: *Item sermo factus super illuminacione spirituali et corporali refectioe et que sint necessaria in refectioe.* Initium: *Orate Dominum fratres ut misterio sue sanctitatis per me seruum suum inutilem atque indignum ministret vobis hodie aliquid utilitatis. Fratres mei more solito hic congregati propositum nostre congregationis inspiciamus circa illud aliqua utilia pertractantes; propositum vero nostre congregationis triplicem habet causam, quarum prima est illuminacio, nam consueuimus hic congregari ad collacionem faciendam, ut oleum ematur de quo sacer iste locus illuminatur. Secunda causa est spiritualis refectio quam hic a fratribus (Religiosis) cum deuotione suscipere consueuimus. Tertia est corporalis refectio quam hic cum caritate debemus sumere &c.* Plura dedi, ut cognoscat Lector, agi de pio Coetu, queni Homines forenses, ut multi alii Ordines, statis temporibus ad quoddam religiosae Familiae Templum

vel Sacellum jam Sec. XIII. agebant, variis deinceps nominibus *Confraternita, Congregation, Gilde, Bruderschaft* compellato, cuiusmodi Coetui Mercatorum originem debuit Ordo Servorum *B. V. Mariae.*

V. fol. 107. *Incipit liber de ortu et vita beate virginis marie et de infantia saluatoris.* Praeit nota illa Majorum et Parentelae Christi Genealogia ab Anna et Esmeria ad Jacobum majorem et Johannem Evang. Sequitur Epistola Chromatii et Heliodori Epp. ad Hieronymum: *Ortum beate marie virginis &c.* cum Responso Hieronymi: *Qui terram auri consciam &c.* Produxi jam Spuria haec *Vol. I. P. 1. col. 858.* et extare dixi cum in *Fabricii Cod. Apocrypho N. T. p. 7. et 8. tum T. XI. Opp. Hieronymi edit. Vallars. col. 279.* at, quae jam iis succedit *Vita B. Mariae*, non stilo tantum, sed variis etiam narratiunculis differt ab iis, quae apud hos Autores reperi. Initium est: *In diebus illis erat Vir in israel nomine Joachim ex tribu iuda. hic erat pastor ouium suarum timens dominum in simplicitate et in bonitate sua &c.* Ita proceditur usque ad Christi nativitatem, in qua definunt Autores *citt.* Non ita nostrum Exemplar; sic enim continuat: *Jam uero natiuitas domini aduenerat ac Joseph perrexit querere obstetrices &c.* Vides nexum cum spurio *Evang. Infantiae Christi*, quod apud *Fabricium cit. p. 168.* incipit, dictione uero et rerum ordine a nostro rursus multum

tum distat; nam dum illud in *Jesu* inter Doctores invento definit, nobis *Jacobus* a morfu viperæ sanatus, et hæc verba extrema sunt: *et quando ihesus dormiebat siue in die siue in nocte claritas dei resplendebat super eum amen Deo gratias.* Fabulae. VI. fol. 115. Summa, ut e calce præoccupo, obuencionum in quibus dyocesani et metropolitani ecclesiarum regni anglie tenentur ecclesie romane. Præit sequens Epistola: *Gregorius episcopus seruus seruorum dei venerabilibus fratribus cantuar. et ebroic. (Eborac.) archiepiscopis et eorum suffraganeis et dilectis filijs abbatibus prioribus archidiaconis eorumque officialibus per regnum anglie constitutis ad quos iste litere peruenerint salutem et apostolicam benedictionem. Qualiter denarius beati petri qui debetur camere nostre colligatur in anglia et in quibus episcopatibus uel diocesibus debeatur ne super hoc dubitari contingat presentibus fecimus annotari sicut in registro sedis apostolice continetur.* Sequitur itaque Taxa XV. Episcopatum saepius, et vel in *J. J. Hofmanni Lexico Univ. v. Romascot* impressa, et subscriptum: *Datum apud urbem veterem. 10. kal. maij pontificatus nostri anno secundo. Summa 200. lib. (Sterlingor.) 6. Shel. 8. denar.* En Summam illam ingentem, multarum declamationum argumentum, quæ ad aeris nostri *Rhenenses* ne quidem 2000. ascendat. Ad quem vero *Gregorium* Epistolam hanc referemus? Ad *Septi-*

mum putem; quamvis enim in eius *Registro T. XII. Collect. Concill. Venet.* non compareat, scripsit tamen ille II. *Non. Apr.* anno suo primo exeunte ad *Guilelmum Angliae* Regem in hæc verba: *Rebus vero sancti Petri, quæ in Anglia colliguntur, sic te, ut tuis, invigilare admonemus, et dies datae nostrae Epistolae fuit prima anni ejus secundi ineuntis, ut adeo inter has duas Epistolas non nisi 17. dies intercesserint.*

VII. fol. 116. *Incipit liber de transitu beatissime virginis marie et est apocriphus.* Bene cautum a Librario; jam enim in *Decreto Gelasii* Commentum istud confixum est, quamvis nobis audacter proloquatur: *Que ab apostolo Johanne didicimus et intelleximus scribimus. Post commendationem beate uirginis factam iohanni in cruce &c.* Extat in variis Bibliothecis, et etiam, ut habes apud *Lambecium L. IV. p. 131.* in Palatina nostra graece Κοινωνια της υπεραγιας Δεσποινης ημων Θεοτοκος Μαριας, ad quam latina isthaec Narratio concinnata est. Confer de ea, si lubet, *Fabricii Codicem Apocryphum N. T. p. 60. et 352. et P. III. p. 533.*

VIII. fol. 177. Sequitur Confilium quoddam, siue Regimen Epidemiae tempore observandum, cujus *Prohemium* incipit: *In christi nomine. Amen. Conuenerunt quidam modernorum medicorum cum sapientibus astrologis, et currentem epidimiam ad celestes causas diuersis respectibus reduxerunt. Enumeratis his respectibus definit*

Anonymus noster: *Nos uero dicimus huius corruptionis immediatam et propinquam causam solum esse corruptionem aeris circumdantis per se, et intelligo qualitates suas solum per accidens esse corruptas concordantes cum auicenne. 4.º canon. et stabilita rationibus conuisione sua Remedia adhibenda IX. Capitibus deducit, dum finiat: et fiat sirupus solemniter clarificatus.* Per decursum nihil, unde Autorem, vel ejus saltem Patriam et Aevum elicias, nisi quod Albertum citat.

IX. fol. 122. *Incipit provinciale curie romane continens omnes provincias et omnes subiectas ecclesias summo pontifici per totum orbem terrarum copiatum Anno domini. 1000^{mo} 300^{mo} 26º.* Initium: *In ciuitate romana sunt quinque ecclesie que patriarche dicuntur et sunt iste. Ecclesia sancti Iohannis lateranen. que habet priorem et sunt ordinis sancti augustini. Ecclesia sancti petri que habet archipresbiterum qui debet esse cardinalis dyaconus et sunt canonici seculares. Ecclesia sancti pauli que habet abbatem et sunt monachi nigri ordinis sancti benedicti. Ecclesia sancte marie maioris que habet archipresbiterum et sunt canonici seculares. Ecclesia sancti laurentii foris muros que habet abbatem et sunt monachi nigri ordinis sancti benedicti &c.* Descripsi haec, ut liqueat Lectori, Provinciale nostrum differre tam ab eo, cuius partem recitat Baronius *Annal. Eccl. T. XVII. ad a. 1057.* quam a gemino illo Biblioth. Regiae et

*Tbuanæ, quae legere est in Patergo ad Caroli a S. Paulo Geographiam Sacram, Amst. 1711. f. Haec porro differentia ut se manifestat per totum, ita in sequentibus praecipua est: 1) Provinciam Palaestinae praeit Nota historica de euectione Sedis Hierosolymitanae ad Patriarchatum in Concilio CPolitano I. a. 553. attributisque eidem Ecclesiis Alexandrino et Antiocheno detractis, prompta, ut videtur, e Guil. Tyrio. 2) post Archiepiscopum Colocensem, i. e. Rhodium sequitur Elenchus Ecclesiarum a Sultano detentorum, qui ita concluditur: *Hec sunt assignaciones siue regiones christianorum et sciatis quando in provincia ecclesiastica fuit determinatum quando debuissent venire ad romanam curiam pro soluendo tributo, hoc intelligitur de exemptis ecclesiis monasterijs et alijs ecclesijs et ita describuntur. Abuli (Apuuli) Italici singulis annis. Teutonici Gallici Vngari Provinciales (de la Provence) Siculi biennijs. Anglici Hispanici triennijs. Ultramarini quadriennijs.* 3) Isti sunt nobiliores et potentiores christianorum &c. hoc ingressu enumerantur Imperatores Rom. et CPolit. tum Reges triplici genere, qui coronantur et inunguntur, qui non inunguntur, et qui feudatarii sunt Ecclesiae Rom. quo loco Rex ierosolimitanus, sicilie, aragonie, sardinie, ungarie nominantur. 4) Additur brevis Narratio de Adventu et Vita Servatoris, vocatione Apostolorum, Martyrio et Sepultura Petri et Pauli, ubi refer-*

fertur, Fidelibus eorum ossa non dignoscentibus divinitus responsum fuisse: majora Peccatoris, minorā vero Piscatoris esse, id, quod receptae de pufilla Pauli statura opinioni repugnat.

X. fol. 129. p. 2. *Tres quaestiones* (ita in calce) *de origine iurisdictionum quibus populus regitur compilate per fratrem durandum ordinis predicatorum doctorem sacre theologie et episcopum meldonensem.* In *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 587. video *Tractatum* nostri, qui a. 1334. obiit, *de Jurisdictione ecclesiastica et de Legibus* editum cum aliis ejusdem argumenti *Parisis* 1506. 4. qui, nescio, an praesens sit. Interim hic incipit: *Circa originem potestatum et iurisdictionum quibus populus regitur aliqua possunt queri. et primo potest queri utrum potestas secularis per quam populus regitur quantum ad temporalia sit a deo. Secundo queritur utrum praeter potestatem laicam et secularem sit uel esse debeat alia potestas iurisdictionis necessaria uel expediens ad bonum regimen populi. Tertio queritur utrum iste due potestates seu iurisdictiones possint concurrere in una persona. ita quod una et eadem persona habeat utramque potestatem seu iurisdictionem.* Adfirmantur omnes tres Quaestiones, et argumentis in contrarium adductis respondetur.

XI. fol. 136. p. 2. *Incipiunt Articuli parisiis condempnati per dominum Stephanum (Temperium) episcopum parisiensis de consilio magistrorum theologie anno domini*

Millesimo ducentesimo LXXVII. die dominica qua cantatur (Laetare) iberusalem. &c. Primus est de SS. Trinitate, ut Bibl. PP. Lugd. T. XXV. p. 330. sed non eodem ordine procedunt et numero CCXIX. sunt, adeoque impressos duobus superant. Impressi praeterea annum 1277. praeferrunt, ut jam alibi hoc Vol. notavi. In Codice accedunt Casus in quibus doctores sacre theologie non tenent opinionem magistri sententiarum dati per magistrum G. de castro Reginaldi (Château Regnault) doctorem sacre scripture. Sunt numero VI. et una cum praecedentibus Articulis habentur impressi ad calcem plurium Editionum Sententiarum Petri Lombardi; hic vero subnotantur: Anno domini M^o CCC^{mo}. XXIX. parisiensis. Deo gracias. Frater Guillelmus omnes scripsit. Deo gracias.

XII. fol. 140. succedit *Συγγαμα* Opusculorum Medicorum, et primo quidem: *Incipit liber veritatis ypocratis.* Nihil ejusmodi inter genuina Viri Scripta. XXII. *Prognostica* sunt maximam partem a *Pustulis* desumpta, et adsignata plerumque die, qua iis adfectus Aeger moriturus sit. Praeit *Narratio*: *Peruenit ad nos quod cum ypocrates morti appropinquaret precepit, ut uirtutes iste scripte in hoc libro (clauderentur?) in capsula eburnea et ponerentur ipsa cum eo in sepulcro suo, ne aliquis detegeret &c. Detexisse vero Caesarem, nescio quem, Sepulcrum inspicientem. Prodit Veteratorem etiam Clausula: *Explicit Liber a galieno**

galieno ab arabico in latinum translatus. Accedunt VII. Signa lepre, quorum 1. Pulvis plumbi ponatur suaviter super urinam, et (si) super natauerit, leprofus est, si autem ad fondum descendat, non.

XIII. fol. 141. Incipit tractatus aduerrois de generatione animalium. Initium: *Aristotiles in Libro de generatione animalium, quod cum uirile sperma spumofum exeat &c.* Extant Averrois Commentarii in Opera *Aristotelis* latine versi in horum Operum Edit. *Veneta Juntar.* 1562. 8.

XIV. fol. 143. p. 2. Incipit anathomia galieni scripta. Anno domini M^o 300^{mo}. 15^{mo}. Initium: *Galienus in tegni testatur quod quicumque cognitor membrorum interiorum fieri desiderat, in anathomijs esse eum diligentem oportet &c.* Non igitur Tractatus hic Galeni, sed ad mentem Galeni, inter cuius Scripta, ut notum, plura Anatomica sunt, exaratus est. Τεχνη ejus ἰατρικῆν ignorantia medii aevi in Tegni corripit. Partes Opusculi sunt: *De membris in genere. De diuisione Membrorum. De Anatomice Membrorum animalium et inanimatorum. De anatomice membrorum spiritualium. Pulmonis. Nutritiuorum Membrorum. Genitalium. Matricis.*

XV. fol. 149. Incipit physionomia rasis scripta. Anno domini. 1000^{mo}. 300^{mo}. 15^{mo}. Praeit Index *De signis colligentibus scientiam cognoscendi complexiones.* Initium Opusculi: *Corporis complexio ex colore et corporis habitudine et ex tactu et ex operationibus et ex-*

euntibus a corpore cognoscitur &c. Excerpta sunt haec e *Tractatu II. ad Regem Almanforem Abubecri* (non betri, ut similitudine litterarum t et c frequenter decepti olim et Librarii scripserunt, et Typographi imprefferunt) *Mubammedis Zachariae filii ab urbe patria in Persis Rai dicti Al-Rasi, Medici Arabum celeberrimi, qui Sec. XI. obiit, ut editionem Opp. Lugdun. per Gilbertum de Villiers 1511. 8. non Silbertum, nec 1510. ut habet Hambergerus, et Basileensem 1544. f. conferenti patet.* In hac edit. Opus ad *Almanforem* ex *Arabico* versum dicitur per *Erhardum Toletanum.* Lege *Gerardum Toletanum* Medicum non, ut alii, *Cremonensem,* sed *Carmonensem* ab *Andalusiae* Civitate *Carmona.*

XVI. fol. 157. Hic incipit physionomia aristotilis. Ita: *Quoniam anime sequuntur corpora et ipse secundum se ipsas non impassibiles &c.* Extat in antiqua hac Ignoti Versione cum *Barth. Cochitis, Claud. Achillini* et *Mich. Scoti Physionomijs* impressa *Papiae* per *Bernardin. de Garaldis.* 1515. f. Alios ejus Interpretes refert *Fabricius Bibl. gr. L. III. c. 6. p. 144.*

XVII. fol. 163. Hec sunt dicta purgustionis gra qui vero in istis profundius considerare uoluerit ad astrorum scientiam transferat mentem suam. Quid τὸ γρᾶ? An graeca? Anne Grammatici? Quis Purgustio? Hoc nomine Grammaticum nullibi gentium reperio. Sed liceat coniectare. Multa in Codice

1645

ASCETICI.

1646

ce menda sunt. Quid si in illorum censum veniat *Purgustio*, legendumque fit *Burgundio*? Judicem hunc Sec. XII. *Pisanum* graece doctum fuisse plura ab eo latine

Dogma Poetarum, cui littera graeca latina

Ars Medicinarum patuit Sapiencia trina,

tum *Galenus de Alimentis et de Regimine Sanitatis* e graeco conversus testantur, qui *Mazzuchellii* fide in Bibliothecis *Venetis* extat. Quidni igitur etiam *Physiognomiae Aristotelis* traducendae et Commentario illustrandae manum admoveere potuit? Ejusmodi enim Commentarius sunt *Diſta* nostra. Unum interim, unde conjecturae meae timeam, est, quod Autor fol. 181. ait: vidisse se oves mollem et duram lanam habentes in terra *narbonēsi* (*Narbonensi*) et in quadam parte *Yspanie* que dicitur *cathalonia*, et quod fol. 178. p. 2. habet: in motibus non inuerecundus. i. uerecundus et inclinatus et stupet factibil' tal' cito sebbaiſt gallice loquendo; e quo quamquam, Librarii certe vitio, nihil extundam, credi tamen possit Autor *Gallus* fuisse potius, quam *Italus*. Interim, dum quis probabiliora doceat, Commentarius ita infit: Sicut dicit philosophus primo retorice. nobilitas est generi civitati sui unis antiquos esse presides &c. quae et ipsa corrupta sunt. Prooemium totum disputat de Nobilitate animi et natalium, dum in Textum *Aristotelis de Physiognomia* ingrediatur, quem membra-

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

reddita, quae habes apud *Fabricium* et *Mazzuchellium*, probant. Medicinam adtigisse, cum verba *Epitaphii*:

tim exponit. Extrema sunt: habent ex aliquo casu oculos inequales.

XVIII. fol. 190. *Clementis VI.* Deposito et Excommunicatio *Ludovici Bavari Imp.* absque notis chronologicis, sed fulminata a. 1346. in *Coena Domini*. Incipit: *Clemens episcopus servus servorum Dei ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Olim videlicet II. idus aprilis pontificatus nostri anno primo (1342. 12. Apr.) Nonnullos processus per felicis recordationis Johannem papam XXII. predecessorem nostrum contra Ludovicum de bauaria dudum in regem romanorum in discordia ut dicebatur electum — ducimus recitandos &c.* Narrantur igitur acta ab eo tempore praecipue *Ambassiatorum Ludovici Marquardi de Randegge, Ebrardi de ciuitate augustensi Praepositorum, Imberti Dalphini Viennens.* et *Vhrici de augusta Imperatoris familiaris* in irritum relapsa, quod *Ludovicus* mentem non mutasset; itaque *Clemens* terribilibus formulis ad sententiam anathematis, et depositionis procedit, eosque, quorum id est, ad electionem novi Imperatoris hortatur. Tacent de hac Constitutione Bullaria et Concilio-

L1 rum

rum Collectiones; vix tacuisset *Fabricius*, si illi uspiam occurrisset.

XIX. fol. 193. *Benedicti XII.* Constitutio data *Avenione IV. Kal. Febr. Pontificatus Anno II.* id est 1336. qua Controversiam de Statu Animarum post obitum et Visione beatifica a Praecessore *Johanne XXII.* morte destitutam componit. Init: *Benedictus Deus in donis suis &c.* et legitur in *Car. Cocquelinii Bullario T. III. P. 2. p. 213.*

XX. fol. 194. p. 2. *Johannis XXII.* Edictum de Benedictione Nuptiali in secundis votis non iteranda. Incipit: *Concertationi antiquae finem imponere cupientes presenti declaramus edicto &c.* Non iterandam semel acceptam Benedictionem; qui non acceperunt in primis, dandam in secundis votis; Presbyteros ob iteratam Benedictionem suspensos posse absolvi a Dioecesanis, et eorum dispensatione retinere Beneficia tempore suspensionis obtenta. Praxin Ecclesiarum hac in re diversam fuisse, cum verba *Concertationi antiquae*, tum multa Statuta Synodalia Sec. XIII et XIV. Iterationem verantia docent. *Rituale Rom.* hodiernum *Tit. VII. C. 1. de Sacram. Matrim.* cum Edicto *Johannis*, quod in *Bullario* non habetur, consentit.

XXI. fol. eod. ejusdem *Johannis* Constitutio contra Habentes commercia cum Daemonibus; quae incipit: *Super illius specula quamvis immeriti &c.* et legitur

Bullarii cit. T. eod. P. 2. p. 194. data *Avenione* sine nota temporis.

XXII. fol. 195. p. 2. Constitutio gallice versa, quae incipit: *Clemens euesque sers des sers de dieu. Reduiant a memoire la cause pourquoy dieu le pere a tramis son fil du ciel en terre la quelle si est car il ne vult point la mort des pecheurs &c.* Sequitur Ecclesiae Rom. praeconium; sed ante, quam ad rei momentum perveniatur, excisae sunt membranae. Unde ne quidem, ad quem *Clementem*, quos haud obiter inspexi, pertineat Constitutio, dicere habeo, tacente *Bullario* et ipso etiam *Baluzio* in *Vitis Pappar. Avenionens.*

XXIII. fol. 196. Incipit *prologus in tractatu de laudibus parisius.* Hoc modo: *Benedicta sit illa diuine prouidencie ineffabilis eternitas, que mihi dignata fuit illud ordinare propositum, ut siluanectensium (Silvanectum Senlis Urbs vicina Parisiis) locorum amenitates pro uiribus conscriberem &c.* Fecerat id Noster, et suo *Siluanecti* Elogio commoverat *Virum*, ut ait, *facundum, quem Deus custodiat et dirigat, ad concinnandas Parisiorum veluti Vindicias, quibus caussabatur Nostrum hujus urbis gloriae quodammodo detraxisse. Ut igitur is ostenderet, nequaquam ea se mente fuisse, praesentem Tractatum adornavit, illa insuper ratione motus, quod alter Vindicias suas constituit non nisi ex quibusdam vniuersalibus, que nichil mouent, aut modicum,*

et ex aliquibus similitudinibus methaphoricis, que, etsi aliquo modo oblectant animum, paucis tamen aut nullis quietant certitudinibus intellectum &c. Prologus ita finit: *Erunt igitur in isto tractatu 4. partes principales, quarum prima erit de laudibus studii parisiensis. 2^a de quibusdam ceteris parisiensibus eminentiis. 3^a de inconvenientibus illius (adversarii) dictatoris. 4^a de utilitate Siluaneſi.* Quatuor I. Partis Capitulis agitur: *Primo quantum ad facultatem Phylſophie seu artium. De Preconiis theologorum. De facultate doctorum et decretalium. De laude medicorum.* Decem II. Partis Capitulis agitur: *De ecclesiis precipue de ecclesia beate marie et de capella regis. De palacio regis, in quo est aliquid de magistris parlamenti et requestarum et de notariis. De aulis (des Halles) campellorum (aux Champeaux) et de aliis domibus parisiensibus. De artificibus manualibus. De conditionibus populi parisiensis. quo ad mores animarum et accidentia corporum. De fluuio parisiensi vocato nomine proprio secana. De cibariis seu victualibus. De situ parisiensis et totius gallicae in quo est quoddam correlarium de regibus francie. Per modum epylogi sententiarum exclamatio pro parisiensium civitate inclita. De rege francie et eius modus scribendi celsitudinem regie maiestatis.* III. Partis Capitulis oppugnantur quatuor Adversarii Inconvenientia, quae juxta Nostrum partim adulationis, partim exaggerationis vitio admittit. IV. Partis Capitulo unico Sil-

vaneſi Encomium. En ex antiquissimis Lutetiae Descriptionibus curiosam sane et rarissimam. Audi vero Claufulam: *Explicit tractatus de laudibus Urbis Urbium parisiensis cuius una pars est de Utilitatibus Siluaneſi propinquitatis ad ipsam parisiensis consuetudinem gratulantis scriptus complete anno verbi incarnati 1323. quarto die novembris per Johannem de Genduno.* Censeo ipsam Viri hujus *78 Marsilii Menandrini* in concinnando *Defensore Pacis* *συνεγυνη* manum, quem diu Doctorem Perusinum pro Parisiensi, et Gandavensem dixere, donec Oudinus ejus locum natalem Pagum *Jandunum* inter *Rethelium* et *Maceriam* (Mazieres) urbes Campaniae situm indicaret, quem vide T. III. col. 883. Opera Nostrae philosophica jam olim typis commissa probe norunt Literatores; *Parisiensium* vero Encomiasten qui proderet, nemo mihi compertus. Interim, quod instituti mei non est, Tractatus hic integer transcribi mereretur.

XXIV. fol. 209. *Recommendatio*, ut e calce adsumo, *civitatis parisiensis*. Opportune hic addita; est enim illa, contra quam *Joh. de Janduno* praecedenti Tractatu calamum strinxit. Init vero: *Circumvi terrarum climata cuncta perambulans a finibus lustrans sollerter et inquirens quis ex locis habitabilibus in splendore et amenitate sui gradus comparationis excedens tanta polleret preeminencia, ut locorum ceterorum genus superlativum precelleret &c.* Invenies in ea quatuor illa *Inconvenientia*, quae

1651

CODICES

1652

carpit *Jandunensis*, filium tamen utriusque phrasi scholastica juveniliter turgidum.

DCXCI.

R. 2076

Codex membranaceus lat. Sec. XIV. Folior. 110. f. maj. pereleganter scriptus et coloribus illustratus ita init: *Incipiunt capitula primi libri de uirtutibus moralibus editi a fratre henrico de arimino ordinis fratrum predicatorum. Agit is de Prudentia. Ita sequuntur Capitula Libri seu Tractatus II. de Justitia, III. de Fortitudine, IV. de Temperantia. Omnia haec Capitula in Lectiones distributa sunt, de quibus ad finem Indicis monetur: Predicti tituli distincti sunt per lectiones. quia liber hoc modo ad ciues uenetos in scolis fuit expositus. Parum norunt Ordinis Bibliothecarii de Autore, quem circa an. 1314. floruisse tradunt T. I. p. 523. neque plura duobus excitant Operis praesentis Exemplaria m/s. quorum alteri finis deest. Typis editum ignorarunt. Adjacet autem mihi Editio *Spirensis* cum Tabula *Thomae de Dorniberg* finita 1472. qui annus etiam Editionis fuerit, f. et *Argentinenfis* ad mox dictam expressa, et quidem continuo, cum Exemplar nostrum *Petrus Engelprecht* primus *Neostadiensis* Episcopus jam a. 1474. comparaverit. Orditur vero Codex praefixa *Henrici* forma picturata in hunc modum: *Quia secundum sententiam apostoli ad hebreos ciuitatem quam corporaliter possidemus, non**

*manentem sed transitoriam cernimus, futuram autem in eternum mansuram inquirimus, manifeste colligimus, quod homo duarum ciuitatum ciuis constituitur, terrene scilicet et celestis. Sed illius quidem, ut inde per mortem recedat, huius autem, ut semper in ea uiuendo permaneat. Tractaturi igitur de moribus hominum, de duplici uirtute humana uidelicet et diuina, per quam ad utriusque ciuitatis habitationem reddamur ydonei, aliquid enarrare curabimus. Modus autem tractandi erit facilis et exemplaris, secundum quod moralis via requirit et conditio auditoris admittit. Sciendum est igitur, quod uirtus humana, que ad perfectionem uite ciuiliis requiritur, ad duo precipue ordinatur, scilicet ad moderationem passionum interiorum et ad debitam operationem rerum exteriorum. Circa que regulanda necesse est quatuor adesse uirtutes &c. Audis hominem non usquequaque barbarum; sed nec indoctum decursus probat, nec impari instituto, ita ceterarum omnium Virtutum officia ad illas quatuor dextre reducit. Velles illum modo piis narratiunculis minus indulgisse, qualis est de Femina comae nimium studiosa post obitum in poenam se peccante, quae Tractatum terminat cum addito: *Hec de uirtute morali dicta sufficiant. Deo gratias. Explicit tractatus de quatuor uirtutibus cardinalibus editus a fratre henrico de arimino ordinis predicatorum.**

DCXCII.